



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

150. An communicare cum excommunicato non tolerato in rebus politicis
& civilibus sit tantum peccatum veniale? Sed difficultas est, an extra
prædictas causas in hoc versu inclusas, utile, lex, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

excommunicato, sensus enim est, quod licet ipsa communicatio ex genere suo sit peccatum veniale, tamen quatenus est prohibita, est peccatum mortale, & hoc eodem modo videntur intelligere velle Doctores, dum dicunt communionem, cum excommunicato esse peccatum veniale, & tamen per illum incurrere excommunicationem minorem, cum teneant excommunicatum minori excommunicatione esse privatum participatione passiva Sacramentorum, certum est enim per peccatum veniale neminem excludi a perceptione Sacramentorum. Vnde cum quis per excommunicationem minorem excludatur a participatione passiva Sacramentorum, sequitur esse peccatum mortale. Non ergo potest intelligi veniale, ut ipsi quoque tenent, nisi prædicto modo, quia in re ipsi sunt valde obscuri.

2. Sed his non obstantibus absolute, & sine ulla distinctione asserunt DD. communicationem in humanis, in nostro casu esse tantum peccatum veniale. Ita Cornejo in 3. parat. 5. de excom. disp. 10 post §. 10. dub. 1. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de excomm. ante dub. 14 n. 14. Turrian. de cens. lib. 2. disp. 12. dub. 1. Syl. in 3. p. D. Th. 9. 23. art. 3. Mercetius in 3. p. de Sacram. 9. 21. dub. 10. Avila de cens. part. 7. cap. 6. disp. 8. dub. 3. Sayr. lib. 2. cap. 1 n. 3. Suar. tom. 5. disp. 15. §. 1. n. 2. Sotus in 4. disp. 2. 9. art. 4. Emanuel Sà verb. excommunicatione, m. 21. Henriquez lib. 13. cap. 8. n. 1. Toletus lib. 1. cap. 11. in 3. & hanc opinionem probabilem, & in praxi securam esse docet Ioan. Præpositus in 3. part. 9. 2. de excomm. dub. 15 n. 99. Et ratio est, quia materia huius communicationis levis est in civilibus, & secundum se, & in ordine ad legem excommunicationis, cum ita indirecte tantum, & secundario prohibetur, unde tam ipse excommunicatus cum aliis, quam ceteri communicantes cum ipso in humanis & temporalibus peccant tantum venialiter. Et hanc sententiam veram esse puto contra Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 14. n. 149. Suarez loco citato, n. 11. Filliucium tom. 1. tract. 13. cap. 3. num. 43. & cap. 5. num. 92. etiam si cum excommunicato vitando frequentissime quis communicet, etiam in tali casu non peccat, nisi venialiter. Ita Alterius lib. 1. disp. 12. cap. 6. Sayrus num. 4. Avila concl. 2. & Reginaldus tom. 2. lib. 3. cap. 15. num. 91.

3. Notandum est tamen hic primò cum Hurtado & DD. citatis, communicationem aliàs ex objecto veniale posse fieri mortalem ex circumstantia aliqua, ut ex circumstantia contemptus, si ex eo fiat, vel ex circumstantia scandali, ut si ex communicatione cum excommunicato ipse excommunicatus animum ad perseverandum in sua contumacia mortali, quod raro evenit. Imò hoc est communicare cum excommunicato in crimine criminoso, vel ex circumstantia finis noviter intenti a iudice ad noviter prohibendam communicationem cum excommunicato, ut contingit, quando fertur excommunicatio major contra communicantes, seu participantes cum excommunicato. 4. Notandum secundò in tali casu præter peccatum veniale incurrere etiam excommunicationem minorem, ut patet ex cap. a nobis 2. de exceptionibus, nisi in quibusdam casibus, in quibus incurritur excommunicatio major, de quibus vide Hurtadum loco cit. disp. 3. Sed regulariter hi casus non occurrunt.

RESOL. CL.

An communicare cum excommunicato non tolerato in rebus Politicis, & Civilibus sit tantum peccatum veniale?

Sed difficultas est, an extra prædictas causas in hoc versu inclusat, utile, lex, humile, res ignorata, necesse, Tom. V.

Si quis communicet cum excommunicato denunciato in Civilibus peccet mortaliter? Ex part. 7. tract. 11. & Misc. 2. Ref. 47.

§. 1. **E**st peccatum communicare cum excommunicato seclusis aliquibus causis hoc versu inclusis, *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*; communiter tenent Doctores; sed difficultas est an extra prædictas causas, si quis communicet cum excommunicato non tolerato in civilibus, peccet mortaliter? Et negativè novissimè responderet Stephanus Baunius in Theol. mor. part. 2. disp. 6. quest. 5. ubi sic ait: Dico tertio, communicare cum non tolerato in rebus tertij generis, hoc est politicis, ac civicis quæque nobis cum infidelibus sunt communes, non esse communiter nisi veniale.

2. Quia non sunt hæc nisi quid leve, nec proinde cum contemptu conjunctæ clavium, aut Ecclesiæ, Paludan. in 4. disp. 18. quest. 6. art. 3. Adrianus in 3. q. de clavibus except. 8. Thesaurus in part. 2. praxis Ecclesiæ cap. 4.

3. Quam sententiam Sotus in 4. disp. 22. quest. 1. art. 4. assignat cunctis Theologis, quos asserere ait in communione civili, inesse tantum levem culpam, extra tempora ante patefacta, pro qua opinione sunt hæc argumenta.

4. Primum, quod veri speciem nullam habeat, velle Ecclesiæ matrem utique sapientissimam, æternis aliquem addici flammis, ob colloquia, verbaque aliquot, temerè cum excommunicato habita, id enim nec communis boni ratio, nec lex charitatis permittit.

5. Quid quod ejus pænæ nulla extent in canone vestigia? quod non nisi gravia crimina, quæque mortifera, turpique animum macula inquinant, plecti hac pænâ sint solita? cujusmodi vocem esse aliquam consulte non satis prolatam, quis dicet?

6. Sanè cum tam sint homines ad loquendum proclives, non decuit iis ab Ecclesiâ peccandi causam obijci, non eorum conscientis laqueum injici, non ob solita humanitatis inter se officia, hominilique unius cujuspiam salutationem, multos æternæ damnationis mortiferaeque noxæ periculo obijcere, quod tamen faceret, si communionem cum excommunicato in re temporaria, ac civili fidelibus lethalem esse vellet.

7. Obijciunt adversæ partis defensores, ac patroni, quod præcepti cujuslibet Ecclesiastici violatio, crimen habeat, quo proinde cavere non posse asserunt, qui legem de excommunicato vitando, ejusque congressu, colloquutione & consuetudine, non servant.

8. Respondendum, non omnia Ecclesiæ præcepta, eaque præcipue, quæ pænâ nocentes afficiunt, obligare ad mortale, sicut nec cuncta divina, ut est præceptum de vitanda communione excommunicati in humanis, cui qui non parer, peccatum quidem contrahit, sed non lethale ob levitatem materiæ. Ita Baunius; qui paulò infra sic etiam asserit: Sanè constat eos qui communicant cum excommunicato in politicis, & merè civilibus negotiis ut sunt humana commercia, convictus quotidiani, in eo non peccare nisi venialiter, quia talis communicatio est res levis, nec primò & per se repugnans fini censuræ, qui est communicatio in rebus Ecclesiasticis, & spiritualibus, non autem in politicis, nisi indirectè ac secundario. Ita ille. Sed de hac questione à nobis alibi actum est.

Alibi in Ref. quæ hic est antecessus.

RESOL. CLI.

An liceat communicare cum excommunicato in diversis mensa.

H 3

Idem